Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Quapropter maternum agonis nostri cooperatorem et tui officii successorem constitue. Illumque de visione nostra ante diem exitus tui certissimum reddes. Et hec dicens recessit. Evigilans autem sanctus Valerius mox visum somnium beato Materno ceterisque fratribus qui presto erant narravit et eisdem obitus sui diem letissimo vultu instare predixit. Sequenti vero die venerabilem maternum ad sacerdotalem gradum provexit et eum de studio commissi ministerii diligenter instruxit. Cumque per predictum spacium ob famam depositionis eius advenientes fideles verbo salutifere admonitionis de exercicio sancte conversationis instanter instrueret et eos ad salutem animarum suarum dulcifluam exhortacione paternisque visceribus incitaret. Illucescente iam quinto die oratorium ingressus. Viaticum quod ipse consecraverat accepit. Et post hec extensis inter manus discipulorum sacris membris. Vii. Kalendas Februarii spiritum celo reddidit.

Cuius corpus colligentes discipuli sacratissimo corpori sancti Eucherii coaptaverunt. In eodem sarcophago cum divinis laudibus condiderunt. Quod superna disposicione actum esse credimus. Ut quorum una mens in domino erat. Eorum quoque corpora nec sepulchrum ab invicem separaret. Post discessum beati Valerii beatus Maternus pontificalem suscipiens apicem per civitates et regiones veram fidem que est in Christo constanter cepit predicare. Cunctos ad viam salutis assidua ammonitione provocare. Magnis virtutibus cottidie crescere. Signis ac miraculis longe lateque clarescere. Et quanto cottidianis incrementis fidelium multitudinem plus augeri conspexerat. Tanto diligentius in iunctum ministerium regulariter ordinare studebat. Hic etenim quamvis esset vir magne auctoritatis et prudencie. Nichil tamen ex proprio imperio quasi libera utens potestate exercuit. Sed omnia humiliter atque simpliciter egit. Communemque se subditis studio sancte dilectionis exhibuit. In omnibus etiam quam probabiliter gesserat. Non sua sed Christi gloriam quesivit. Quicumque inter cetera sanctarum virtutum exercicia mitissimus existens consolabatur afflictos. Pavit ex his que habebat egenos. Vestivit nudos. Redemit captivos. Suscepit peregrinos. Errantibus viam salutis misericorditer ostendit. Desperatis spem venie consequende clementer promisit. Currentes viam mandatorum dei semper ad altiora impulit. In eadem remorantes verbo exhortacionis instigavit. Et modo docendo. Modo exhortando. Modo sustinendo. Modo in periculis se obiciendo. Omnibus indesinenter pio solamine occurrit. His igitur atque aliis huiusmodi bonorum operum studiis suffultus ad sanctam ac laudabilem senectutem pervenit. Et sic quadraginta diebus iacuit in sepulchro. Ita totidem annos mansit in sacerdotali ministerio.

Is itaque solitus per nocturnam quietem locum ubi sanctorum corpora requiescunt silenter frequentare. Et ibidem diutius in oratione solus persistere.

Unde dum quadam nocte iuxta morem eandem ecclesiam intraret. Ibique prolixius divinas laudes celebraret. Circa mediam noctem cepit somno gravari. Et ab instancia precum offendente sepius lingua retardari. At ille in subsellio quod ibi erat considens. Infixis ad genua cubitis. Inter utrasque manus sancti caput reclinavit. Visio. Et paululum somno celeriter cedens obdormivit. Statimque apparuerunt ei sanctus Eucherius et beatus Valerius clarissimis vultibus splendentes. Sacerdotalibus infulis coruscantes. Coronas singulas rosis et liliis ac ceteris odoriferis floribus mirabili arte intextas in capitibus gestantes. Consimilia serta demonstrantes et dicentes. Ecce Materne sicut olim tibi promisimus. Ita ante diem dormicionis tue visitandi gratia ad te venimus. Nunc igitur gaude et letare. Quia die tercia ex hoc seculo migrabis. Et inenarrabilia domini tui gaudia intrabis. Accipe premium tui incorruptibilem coronam. Que a paradyso per petue amenitatis est sumpta. Et tibi a Christo per nos famulos suos destinata. Cuius flos numquam marcescet. Cuius odore numquam a suavitate deficit. Cuius perseverantia finem non novit. Quam post corruptionem presentis vite incorruptibilem possidebis. Et in conspectu regis regum cum ea laureatus eternaliter perseverabis. His dictis mox disparuerunt. Ille autem a tenuissimo somno evigilans valde quidem letus de ostensa sibi visione exstitit. Sed tamen in se corporis molestiam sensit. Accersitoque ministro. Cum eius adiuvamine ad cellulam redit. Et seorsum hoc familiaribus discipulis quod sibi ostensum fuerat retulit. Die autem crastino convocatis ad se fratrum catervis. Cepit eos studiose de fidei integritate admonere. Et animos eorum ad celeste desiderium delectabilibus verbis accendere. Ac per totam diem salutaria monita eis dare non cessans. Usque ad octavam horam subsequentis noctis sermonem exhortatorium protraxit. Et quod reliquum noctis superat in psalmis et ymnis cum fratribus transegit. Post pullorum vero cantum instante iam die venit desuper clara vox. Cunctis qui in illa cellula erant audientibus dicens. Materne dilecte dei veni. Qui mox quasi assuetam vocem audiens. Conversus ad circumstantes fratres ait. Valete filioli mei et viscera mea. Ego enim iam migrabo. Et in presenti seculo amplius vobiscum non ero. Et hec dicens communionem dominici sacramenti accepit. Statimque sanctam animam exhalavit. Per cuius absolutionem hii qui presentes erant fideles condignas exequias expleverunt. Et non longe eius corpus a reliquiis sanctorum Eucherii ac Valerii honorabiliter posuerunt. Hec de gestis sanctorum patrum post excidium Treverice urbis reliquias cinerum diligenter perscrutantes. Sparsis cartulis scripta invenimus.

Que in unum redacta utilitati legentium tam presentium quam futurorum fideliter commendamus. Et quamvis in presenti libello pauca de eorum sanctissimis actibus propter casum superius memoratum contineantur. Credendum tamen est sine dubio multas virtutes dum adhuc in corpore viverent per eos dominum exercuisse. Quandoquidem nunc usque ad reliquias ipsorum hoc idem non cessat agere. Nam in eodem loco ceci frequenter illuminantur. Egri sanantur. Demones ab obsessis corporibus fugantur. Varieque infirmitates tam anime quam corporis curantur. Et quicumque illic pio desiderio ac fideli devotione venerit. Ibique dominum per merita ipsorum de quacumque necessitate exoraverit. Non solum ea que postulaverit consequitur. Verum etiam ex his pociora se percepisse letatur. Prestante domino nostro Ihesu Christo. Qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per infinita secula seculorum. Amen.

Passio sancti Constancii martiris. B. iii. Kalendas Februarii.

Temporibus Antonini imperatoris divulgata est iussio. Ut ubicumque inveniretur qui Christum coleret vinctus duceretur ante conspectum eiusdem tyranni. Et ab ipsius statim officio obedientes munerarentur. Contradicentes vero punirentur. Sanctus autem Constancius erat tunc in civitate Perusina. Ex nobili genere natus. Annis iuvenilibus florens. Decorus aspectu. Preclarus ingenio et intellectu. Astucia etiam atque simplicitas magna erat in eo. Ac perfectio summa. Ubicumque in